

Q. 924, 1^a

B. m.



DE
FL. ARRIANO. GEOGRAPHO. ANTIQVO
ILLIVS. QVE
P E R I P L I S
DISSERIT. SIMVL. QVE
A D
ACTVM. VALEDICTORIVM

D. X. CALEND. MAII. A. R. S. cIo Idcc LXVI.
HORA. NONA. INSTITVENDVM

SCHOLAE. NOSTRAE. INSPECTORES
GRAVISSIMOS. OMNES. QVE

PATRONOS. ATQVE. FAVTORES

EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA


I N V I T A T

M. IOAN. GEORGIVS. HAGER
R E C T O R



CHEMNICII

LITTERIS. IOAN. CHRISTOPH. STOESSEL



DE

IN ARSINO GEOGRAPHICO ANTIGO

1811

P. B. P. L. S.

BRASILENSE STYLUS

ARTIS VALLIDICORUM

IN ARSINO GEOGRAPHICO ANTIGO

1811

ARTIS VALLIDICORUM

BRASILENSE STYLUS

ARTIS VALLIDICORUM

BRASILENSE STYLUS

1811

ARTIS VALLIDICORUM

BRASILENSE STYLUS



ARTIS VALLIDICORUM

BRASILENSE STYLUS





In nostro, quem in gratiam studiosae iuuentutis huc vsque, fauentibus musis, suscepimus, geographico cursu vltterius nunc progredi placet. De Hannone, Scylace & Agatharchide, geographis antiquissimis, vr Lectoribus nostris beneuolis constat, praeterito & hoc iam egimus anno. In praesenti alium geographum antiquum, virum summo ingenio summaque doctrina praeditum, paucissimis descriptum sistimus. Est vero ille

FLAVIUS ARRIANVS, Nicomediensis, celeberrimus Philosophus Stoicus, Historicus atque Geographus, Sacerdos Cereris & Proserpinae, Consul romanus & Cappadociae armatae tandem praefectus (a). Patriam adeoque Arrianus agnouit Nicomediam, praecipuam quondam in Bithynia (b), regione Asiae minoris, urbem, hodie Comidiam

);(2

&

(a) Ex antiquis vitam ARRIANI scripsisse DIONEM CASSIVM SVIDAS docet in Lexico suo sub voce *Άριων* T. I, p. 607. Edit. LVDOLPH. KÜSTERI, Cantabrigiae 1705. f. Sed perijt haec vita. PHOTIVS de vita & scriptis illius varia nobiscum communicauit Cod. LVIII. p. 24. XCI, XCII & XCIII. p. 121. seq. Edit. Heschel. SVIDAS sub voce *Άρριανός*, T. I, p. 320. E recentioribus vero adeundi sunt GERHARD. IOAN. VOSSIVS de Histor. Gr. Lib. II, c. n. IO. IONSIVS de Scriptor. Hist. Philosoph. Lib. III, c. 7. p. 35. c. 14. p. 88. Edit. Io. CHRISTOPH. DORNI Ienae. 1716. 4. IO. ALB. FABRICIVS in Bibl. Gr. Lib. IV. c. 8. p. 269. HENR. DODWELL in Diss. V. de aetate Epicteti, atque Arriani conscriptisque ab Arriano Periplis in Vol. I. Geogr. gr. min. a IOAN. HVDSONIO editis, GOTTLIEB STOLLES Anleitung zur Historie der Gelahrtheit, Jena, 1736. 4. p. 371. 626. NICERON Memoires T. XXIV. p. 13. Das Vniuers. Lexicon T. II. p. 1641. Lipsf. 1732. f. FRID. GOTTHILF FREYTAGIVS in Apparatu Litter. T. I, p. 223. Lipsf. 1752. 8.

(b) Hinc Arrianus non solum NICOMEDIENSIS, sed etiam BITHYNVS audit, quia Nicomedia in Bithynia sita erat. V. EVSEBII Chronicon Olymp. 231. vbi *Φιλόσοφος Νικομηδεύς* dicitur, p. 213. edit. Scaligeri & SVIDAM loco supra citato p. 320. A LVCIANO vocatur ROMANVS in Pseudom. Opp. T. I, p. 747. Salmurii, 1619. 8. non patria, sed iure ciuitatis. Eadem ex ratione Arrianus semet ipsum appellauit ATHENIENSEM in libro de Venatione c. 1.

& a Turcis Ismid dictam. Parentes & diem illius natalem quamvis ignoremus, neque eum, quo natus & mortuus est, annum certo sciamus: Ex ipsius tamen scriptis (c) aliorumque fide dignissimorum virorum testimoniis (d) satis superque constare videtur, illum non sub Augusto (e), sed sub imperatoribus Traiano ab A. C. 98 -- 117. Hadriano ab A. C. 117 -- 138. Antonino Pio ab A. C. 138 -- 161. & sub Marco Antonino ab A. C. 161 -- 180. regnantibus, adeoque intra annos Christi 98 - 180. vixisse, & vitam duxisse longaeuam. In iuuentute sua scholam celeberrimi Philosophi Stoici EPICETI circa A. C. 104. diligentissime frequentauit & tanto in eum flagrauit amore, vt non solum placita illius auide arriperet, sed etiam ea post mortem illius variis scriptis, infra nominandis, propagaret vitamque illius scriberet. Praeter Philosophiam maxime quoque historiam excoluit laudis potissimum gloria XENOPHONTIS adductus. Non solum flores Attici sermonis & summam eloquentiam (f) Xenophontis, sed etiam in argumentis librorum Xenophontem imitatus est. Quemadmodum enim Xenophon de dictis & factis Socratis, de expeditione Cyri septem libros, & de rebus Graecorum: Sic noster Arrianus dissertationum Epicteti octo libros, de expeditione Alexandri septem libros & de rebus Romanorum scripsit (g), & ita scripsit. vt alter Xenophon, vtos Xenophῶν, diceretur (h). Tanta praeterea in scribendo integritatis fuisse perhibetur, vt φιλαληθής, veritatis eximius amator studiosusque appellaretur (i). Ob has

igi-

(c) Sic Arrianus epistolam, in qua Periplus Ponti Euxini, ad Hadrianum perscripsit, vt ipsa inscriptio Peripli testatur.

(d) Huc pertinet testimonium PHOTII in Bibl. sua Cod. LVIII p. 25. vbi ita: Κατὰ δὲ τοῦ Χρῆστου Ἀδριανῶν καὶ Ἀντωνίου τοῦ Πλου καὶ Μάρκου τῶν Ἀντωνίου ἐγνωρίζετο; Consentiente SVIDA in voce Ἀδριανός, p. 320. Vide etiam DODWELLVM in Diss. V. §. 13 p. 124.

(e) Vt CLAVDIVS SALMASIVS a DODWELLO in Dissert. III. de aetate Peripli maris Erythraei eiusdemque auctore refutatus somniauit p. 85.

(f) V. IOAN. BODINI Method. Histor. c. 4.

(g) DODWELL in Diss. V. de aetate Peripli Ponti Euxini §. 6. p. 112. seq.

(h) Sic appellatur a PHOTIO & SVIDA, ll. cc.

(i) DEGOR. WHEAR. in Methodo legendi histor. P. I, Sect. 12. LVCIANVS in Pseudom. Opp. T. I, p. 747. CAEL. RHODIGINVS Antiqu. Lect. Lib. I, c. 22. AENEAS GAZAEVS in Theophrasto p. 23.

igitur eximias virtutes in patria splendidum obtinuit munus sacerdotis Cereris & Proserpinae, ut Photius tradit (k). Ob eruditionem suam praeclaram ab Atheniensibus iure civitatis donatus est. Ob egregium suum erga Epictetum illiusque philosophiam maximo admiratori Epicteti Caesari HADRIANO innotuit ipsique clarissimus fuit. Hinc indulgentia illius factum est, ut non solum ius civitatis Romanae, sed etiam senatoriam, consularemque dignitatem & praefecturam Cappadoeciae armatae consequeretur (l). Ast non scriptis tantummodo eruditus, sed praeclarissimis etiam factis Xenophontis aemulus esse voluit Arrianus. Sic strenue quoque, ut alter Xenophon, contra Alanos & Massagetas illum pugnasse historiarum narrant scriptores. Simulac vero paullulum orii impetraret statim ad amoenissimas rediit musas & varia elaboravit scripta historica & geographica, quorum catalogum eo, ut ex mente DODWELLI & FABRICII (m) confecta videntur, ordine suppeditabo; Sunt vero illa:

1. Διατριβῶν Ἐπικτήτου βιβλία ἑκτώ, Dissertationum Epicteti Libri octo, de quibus hodie quatuor tantum priores supersunt (n), editi plerumque cum Enchiridio Epicteti, quas vero editiones huc recensere nolumus, quia a nostro abhorrent instituto. Vide vero illas apud FABRICIVM Bibl. Gr. Lib. IV, c. 7. p. 264,

2. Ὀμιλιῶν Ἐπικτήτου βιβλία δώδεκα, familiarium Epicteti sermonum Libri XII. quae omnia perierunt. Nonnulla iis, quas Διαλίξεων libros vocat, GELLIVS (o) nobis conseruavit.

(X) 3

3. Π.

(k) Cod. XCIII. ex Arriani Bithynicis.

(l) DIO in rebus Hadriani imper. Lib. 69. p. 794.

(m) In Diff. V, p. 113. & FABRICIVS in Bibl. Gr. Lib. IV, c. 8. p. 271. seqq.

(n) Memorati a Photio Cod. LVIII. Ex his Dissertationibus ab Arriano digestis quaedam protulit GELLIVS in Noct. Attic. Lib. I, c. 2. p. 39. Lib. XVII c. 19. p. 595. Edit. PAVLI LONGOLI Curiae, 1741, 8. Vide FABRICII Bibl. Gr. Lib. IV, c. 7. p. 264. c. 8. p. 271. Lib. V, c. 38. p. 594.

(o) Lib. XIX, c. 1, p. 635.

3. Περὶ τοῦ βίου τοῦ Ἐπικτήτου καὶ τῆς αὐτοῦ τελευτῆς, de vita & morte Epicteti. Nihil autem de hac vita amplius superest.

4. Ἐνχειρίδιον Ἐπικτήτου, manualis libellus Philosophiae Epicteteae, cum praefatione, quae vero intercidit, ad Messalinum. Editiones quam plurimas huius Enchiridii graecas & translationes illius latinas, gallicas, hispanicas, italicas, belgicas & germanicas, a scopo meo alienas, hic a me expectabit nullus. Sciendi cupido eas dabit FABRICIVS Bibl. Gr. Lib. IV, c. 7. p. 266. seqq.

5. Παρθικὰ ἐν βιβλίοις ἰς, de Romanorum bellis & rebus a Traiano feliciter gestis aduersus Parthos Libri XVII. Sic PHOTIVS Cod. LVIII. "SVIDAS in voce γνώσις T. I, 489. & STEPHANVS BYZ. in voce Γάζακα & Ἄτραγα, ad hos libros prouocant, sed praeterea nihil amplius habemus,

6. Τίλλιβόρου βίος, vita Tillibori, cuius meminit LVCIANVS in Pseudom, T. I, p. 747. periit.

7. Ἰσοριῶν ἀναβάσεων Ἀλεξάνδρου βιβλία ζ'. de expeditione Alexandri Libri vii. attico stylo scripti saepius prodierunt, optime Gr. atque Lat. cura IAC. GRONOVII Lugd. Bat. 1704. f. Reliquas editiones & translationes vide apud FABRICIVM Lib. IV, c. 8. p. 272. seqq.

8. Ἡ Ἰνδική, (p) aut Ἰνδική, (q) de rebus indicis Liber vnus, qui Ionica dialecto expressus cum Arriani Libris septem de expeditione Alexandri edi solet. Ex hoc libro Parapulus NEARCHI confectus est, vt alio ostendam tempore. Haec Indica Geographiae antiquissimae multum lucis affundunt.

9. Epistola ad Traianum &c. de qua mox pluribus agemus.

10. Periplus maris Erythraei, & de hoc statim plura sequentur.

II. Ἄλα-

(p) Sic PHOTIVS Cod. 92. & EVSTATHIVS ad Iliad. δ. p. 474. legunt.

(q) Hoc modo STEPHANVS in voce Μάσσακη exhibet.

11. Ἀλανική, ἢ τὰ κατ' Ἀλανούς, de bello aduersus Alanos Liber, qui non amplius exstat. Fragmentum illius forsitan est Ἐπιτάξις κατὰ Ἀλανῶν, instructio aciei aduersus Alanos gr. & lat. Tacticæ Arriani adiecta & edita a IOAN. SCHEFFERO Vpfsaliae, 1664, 8. & a NICOLAIO BLANCARDO Amstd. 1683. 8.

12. Λόγος τακτικός, ἢ τέχνη τακτική, de acie instruenda liber, cuius editiones in antecedenti numero iam citauimus.

13. Τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον ἐν λόγοις εἰ, Historiarum de rebus post Alexandrum gestis Libri X. qui omnes perierunt: Recensentur autem a PHOTIO Cod. 58. & 92.

14. Τὰ κατὰ Τιμόλεοντα τὸν Κορίνθιον, de rebus a Timoleonte Corinthio in Sicilia aduersus Dionysium gestis. PHOTIVS Cod. 93. huius meminit libri ex ipsis Arriani Bithynicis. Et hoc est, quod de illo scimus & habemus.

15. Τὰ κατὰ Δίωνα Συρακούσιον, de rebus gestis Dionis Syracusii aduersus eundem Dionysium secundum, Dionysii filium, tyrannum. Praeter hanc inscriptionem a PHOTIO conseruatam omnia interierunt.

16. Βιθυνικά ἐν Βιβλίοις αὐτῶ, Origines & Historia Bithyniae, patriæ suæ a temporibus vsque mythicis ad excessum Nicomedis postremi regis, qui regnum suum Romanis testamento legauit Libris viii. His libris idem fatale accidit fatum, vt præcedentibus. PHOTIVS vero Cod. 93. STEPHANVS in Ἀμαζόνιον Ἄσπας & Βιθυνόπολις, ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΟΝ ΜΑΓΝΟΝ in Ἀφίσιος. EVSTATHIVS ad Iliad. δ. p. 373. εἰ, p. 429. ἢ p. 569. ὁ p. 1020. & IO. TZETZES Chiliad, III, Hist. 155. v. 987. illorum fecerunt mentionem.

17. Κυνηγητικός, de Venatione Liber à Luca Holstenio Romæ & Parisiis 1644. 4. aliisque Gr. & Lat. editus, quas editiones vide in FABRICII Biblioth. Gr. Lib. IV, c. 8. p. 279.

Nunc ad scripta Arriani geographica redimus. Indica illius mere geographica alia expendemus occasione. Periplus ergo illius Ponti Euxi-

ni

ni & maris Erythraei in examen vocandi sunt. Periplum Ponti Euxini scripsisse Arrianum consentiunt omnes. Scripsit vero illum in usum imperatoris Hadriani, circa annum illius vicessimum, adeoque A. C. 137. sub initio praefecturae in Cappadocia acceptae, vti pluribus hoc probavit DODWELLVS (r). Continetur in hoc Periplo descriptio geographica a Trapezunte vsque ad Dioscuriada, atque inde ad Bosporum Cimmericum, indeque ad Thraciam & ipsum Byzantium urbem. STEPHANO Byzantino probe cognitus fuit hic periplus, hinc prouocat ad illum sub voce Ἀλμύνη, Ἀδίαυ & Σίανυ. (s) Censuit quidem ISAAC. VOSSIVS, hodiernum, quem habemus, Arriani Periplum esse tantummodo *Epitomen*, minimamque partem eorum complecti, quae ipse scripserit Arrianus: Sed recte refutauit eum DODWELLVS integritatemque Peripli solide vindicauit (t). Editiones huius Peripli sunt sequentes:

1533. Omnium primam editionem debemus SIGISMUNDO GELENIO, qui Periplum Hannonis, ARRIANI Periplum PONTI Euxini & maris Erythraei, vna cum Plurarcho de fluminibus & montibus & Strabonis Epitome graece apud Frobenium, Basileae, 1533. 4. edidit.

1576. 1577. Arriani Ponti Euxini & maris Erythraei Periplum graece & latine edidit & cum commentario & tabulis Geographicis Abrahami Orrelii additis illustrauit IO. GVIL. STVCKIVS, Tigurinus, Lngduni, 1576. f. vt Hudsonius in praefatione refert. In Bibliotheca vero Altenburg. p. 220. extat Editio Geneuae, apud Eustath. Vignon 1577. in folio typis expressa.

1600. Arriani Periplus Ponti Euxini, lat. ADRIANO TVRNEBO interprete, extat in Adriani Turnebi Operibus Tomo II. p. 146. Argentorati 1600. f. editis. Vide I. GOTTH. FREYTAGII Appar. Litter. T. III, p. 692.

1683. Arriani *Tactica*, acies contra Alanos, *Periplus Ponti Euxini, marisque Erythraei*, de Venatione; item Epicteti *Enchiridion* Apophthegmata & fragmenta, cum interpretatione latina & notis, ex recensione

(r) Diss. V, §. 4. p. 109.

(s) Vide Testimonia. Edit. Hudsonianae praemissa.

(t) Diss. VIII. de auctore anonymo Peripli Euxini maris, §. 3. p. 160.

sione NIC. BLANCARDI, Amstelod. 1683. 8. V. Acta Erudit. Lat. 1648. p. 121.

1698. Ἀρριάνου ἐπιστολὴ πρὸς Ἀδριανόν, ἐν ᾗ καὶ περιπλοῦς Εὐξάνου πόλιου, Arriani Epistola ad Adrianum, in qua Periplus Ponti Euxini, interprete Io. Guil. Stuckio, Tigurino. in IO. HUDSONII Geographiae veteris Scriptor. gr. min. Oxoniae, 1698. 8. Vol. I. a p. 1 - 25.

Tandem sequitur Periplus maris Erythraei. Sunt qui de auctore huius Peripli nihil certi statuunt omnemque rem in medio relinquunt. Sunt qui Arriano hunc adiudicare & abiudicare laborant Periplum. Posteriores in duas abeunt partes. CLAVD. SALMASIVS (v). GERH. IOAN. VOSSIVS (x). & IO. HARDVINVS (y), auctorem huius Peripli antiquiorem Arriano statuunt: HENR. DODWELLVS (z) vero hunc auctorem iuniorē Arriano esse putavit. Eorum argumenta omnino videntur suspecta, quia utraque pars rationibus nititur chronologicis lubricis atque infirmis nulloque suffulti Codice manu exarato. Nec ullus eorum alium auctorem nominare valet. A partibus vero priorum communis stat omnium editorum auctoritas. Primus huius Peripli editor Sigism. Gelenius nitebatur codice suo, quo usus est, manu scripto, qui nomen Arriani in fronte gerebat. Deinde nihil in hoc legitimus Periplot ingenio, vel eruditione Arriani indignum, neque argumenta posteriorum tam clara & solida sunt, ut conuincant, hinc recte, ni fallor, FABRICIVS (aa) huic Periplot locum inter scripta Arriani concessit. Plerumque hic Periplot cum Periplot Ponti Euxini sub hac inscriptione: Ἀρριάνου Περιπλοῦς τῆς Ἐρυθρᾶς Θαλάσσης, Arriani Periplotus maris Erythraei est editus. Est vero etiam editio STUCKIANA eodem anno & loco, quo Periplotus Ponti Euxini, separatim excusam cum proprio suo titulo, dedicatione & indice, & Italicam versionem legitimus in GIOV. BATT. RAMVSIO Raccolte della navigazione Viaggi. Venetia T. I. 1588. f. sub hoc titulo: *Arriano* navigazione del mare rosso sino alle Indie orientali. Plura de Arriano differere chartae angustia prohibet.

)((

Nomi-

(v) In Exercitat. Plinianis p. 877. Edit. Traiecti ad Rhen. 1689. f.

(x) De Histor. Graec. Lib. II, c. 7.

(y) Ad Plinium Lib. VI, c. 23. p. 328. Opp. T. I, Ioan. Harduini.

(z) In Dissert. IV, p. 87.

(aa) In Bibl. Gr. Lib. IV, c. 8. p. 277.

QX TC 276 X 337 2912

Nominandi nunc sunt iuvenes quidam ingenio, pietate, modestia atque diligentia sua conspicui vires in arte dicendi periclitaturi.

I. Christian. Sigismund. Knechtel, Eube Misn.

Euripidis dicto adductus: ὁ χρόνος διδάγμα πολιωτάτων, de tempore optimo documento dicitur *latine*.

II. Georg. Henr. Kuhnius, Grosmilckau. Misn.

de primario artium scientiarumque scopo perorabit *teut.*

III. Henr. Gotthelf. Sachsius, Lengefeld. Misn.

Per sex, & quod excurrit, annos doctrinae nostrae huc vsque alumnus. Pietatem erga DEVM haud fucatae omni, quo par est, studio excolere sedulo laborauit. Praelectionibus nostris publicis pariter ac priuatis, vt laeti profitemur, ita interfuit, vt in literarum studiis elegantioribus, & in iis, quae in addiscendis altioribus doctrinis, requiruntur, linguis, latina nimirum & graeca, progressus faceret haud contemnendos. Morum praeterea suauitate sua omnibus se commendauit. Ne vero infalutato hospite in almam Academiam Lipsiensem abiret Themidis studia pertractaturus vltimum scholae nostrae vale publice acclamare deereuit *carm. teut.* praemissa orat. *lat.* de vestigiis prouidentiae diuinae maxime mirandis. Quo factō

IV. Iustus Fridericus Fischerus, Chemn. Misn.

Verba quaedam de eo, cur aliquid ita, & non aliter se habeat, *italice* dicit & abiturienti felicissimum rerum successum exoptabit.

VOS vero, *Inspectores, Patroni atque Fautores summo opere colendi*, ea, qua decet, animi obseruantia rogo atque obtestor, vt praesentia *Vestra* frequenti nos exhilarare dicturisque patulas benignissimasque aures beneuole praebere velit. Ad omnia VOBIS praestanda officia nos semper promptissimos paratissimosque pollicemur.


Scribebam Chemn. d. 20. April.

A R. S. cIo 1000 LXVI.



ma





B.I.G.

Farbkarte #13

B. m.



DE
 O. GEOGRAPHO. ANTIQVO
 ILLIVS. QVE
 PERIPLIS
 ERIT. SIMVL. QVE
 AD
VALEDICTORIVM
 O. MAIL. A. R. S. cto Idcc LXVI,
 NONA. INSTITVENDVM
 OSTRAE. INSPECTORES
 SSISSIMOS. OMNES. QVE
 S. ATQVE. FAVTORES
 DECET. OBSERVANTIA
 INVITAT
 N. GEORGIVS. HAGER
 RECTOR

HEMNICII
 AN. CHRISTOPH. STOESSEL

